



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suavis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Argvmentvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11665**

# HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI LIBER DECIMVSTERTIVS.

## ARGVMENTVM.

**L**EGATIO Veralli Cardinalis in Galliam Missio Episcopi Montis Falisci Tridentum, & Campani ad Cæsarem. Euentus belli. Mors Joannis Baptiste de Monte. Armorum cessatio id duos annos à Pontifice statuta, & postea à Cæsare confirmata. Septemuirum Tridento discessum.

Sessio prorogata. Litis inter Oratores Regum Lusitanie ac Romanorum. Expeditio Protestantium, & Concilij suspensio. Fuga Cæsaris Oeniponto. Legati Crescentij obitus. Concordia Passauensi inter Cæsarem & Protestantes. Varia belli euentus in Germania, & Belgio. Quæ Pontifex cum Cæsare per Achillem Graffium, & cum Henrico per Prosperum Sanctacrucium egerit. Legatio Dandini Cardinalis ad illum, & Capiteferrei ad hunc, pacis compone ndæ gratiâ. Tumultus Senensem. Mors iuuenis Britanniæ Regis; & sororis Mariae Catholicæ successio. Secreta illuc missio Joannis Francisci Commendoni, dein legatio Poli; eiusque obstacula tandem amota. Coniugium Anglicanæ Reginæ cum Philippi Caroli V. filio. Moronus ad Augustana Comitia Legatus, & Antonius Augustinus ad nouum Britanniæ Regem Nuntius. Pontificis mors. Successio Marcelli II. breuisque illius exitus. Semrum deditio. Pauli IV. creatio. Britanniæ ad Catholicam Religione

gionem conuersio. Britannici Oratores excepti. Datus Hibernie regni titulus. Promotus ad Purpuram Carolus Carraffa, eiusque conditiones. Augustana Comitia, eorumque sanctiones de Religione. Suspiciones inter Pontificem & Cæsarem, auctæ ex iis, quæ Romæ acciderant Sfortianis & Columnensibus. Septem Cardinales creati. Regna omnia à Carolo in filium translata. Occultum fædus inter Pontificem & Galliæ Regem. Inducia & confectæ inter hunc Regem, & Cæsarem, & Philippum Regem. Hac de causa Pontificis querimonia. Legationes Carraffa in Galliam, & Rebiba in Belgium. Variae dissidij causa inter Pontificem & Neapolitanum Prorogem. Solemnis denuntiatio à Pontificij fisci Procuratore in Senatu habita in Cæsarem & Philippum Regem. Oratoris Cæsarei Româ profectio. Pax absque fructu agitata inter Pontificem ac Prorogem. Arma à Proroge illata, & loca prope Romanam ab eo occupata. Res in Gallia à Carraffa transactæ. Eius reditus cum suppetiis, & cum Rebiba Legato. Concordia Octauij Farnesij cum Hispano, à quo ei restituta Placentia. Armorum suspensio inter Pontificem ac Prorogem, sed infectâ pace.

## CAPVT PRIMVM.

Belli euenta. Legatio in Galliam Veralli. Cooptati in Purpuratum Senatum Patres. Missio Episcopi Montis Falisci Tridentum; & postea Petri Camaiani ad Cæsarem.

**N**ECESSARIVM arbitror, inter sacrarum rerum seriem profani aliquid intermisere; quando pro humana imbecillitate, tametsi in effectis naturæ res terrenæ ita cœlestibus subiectæ sint, ut nullo pactò quidquam in illas influant, è contrario in mortalium negotiis ab alteris altera mutuò pendent; nec homines ita conuersos ad cœlum attollunt oculos, quin pedibus terræ insistant.

Cœpta iam fuerat à Pontifice ac Cæsare<sup>a</sup> armorum tractatio prosperi successus auspiciis: nam non modò Cæsariani in conflictu captiuos abduxerant Andalottum, Memorancij Gallici Comestabilis generum, itemque alios duos Proceres, à Rege Galliæ ad hoc bellum missos; sed multis oppidis in agro Parmensi potiti, agrum uniuersum

1552.

a Vide cuncta apud Adrianum, lib. 8.

Aaa 2

uersum